

ATHANARICVS I. EPISCOPVS SPIRENSIS.



Athanaricus eruditione & pietate omnes alios suo tempore superauit. Itaque Dagobertus Austrasiorum rex eum ad se recepit, atque sacris cionibuss præfecit. Cum autem pius ille rex Christianam religionem ubique plantaret, atque Idolorum cultores & Arianæ hæreseos sectatores persequeretur, Nemetum quoque Ecclesiam ex ruinis restaurauit, ac multis bonis & priuilegijs exornauit. In eo loco postea circa annum Christi 630 Athanaricū prium Episcopum constituit, atque ei celebrē eam Ecclesiā commendauit. Itaque Athanaricus magna diligentia omnia instituit, atque suo exemplo omnes alios ad uirtutes excitauit. Cum hoc modo per 22 annos suam Ecclesiam gubernasset, tandem moriens, Eruipium successorem habuit. Ut autem commodius eius Ecclesiæ incrementa & successus cognoscamus, ex antiquorum authorum lectione paucis Antistites Spirenses ordine perstringemus.